

5

A D I S A A C U M C A S A U B O N U M

*Parænesis, cujus occasionem præbuit, ipsius ad Epistolam Cardinalis Perronii responsio.*

**N**on miraberis, puto, magne Casaubone, hanc, ad te directam, parænesin in lucem prodiisse. Virorum enim, magnorum in Republica Christiana, est, non tantum alta sapere, sed etiam aliis subjectos, & summissione animi intus ornatos esse, ut ait Apostolus. 1 Pet. 5. 5. Legi nuper Epistolam tuam, nomine SERENISSIMI Regis Magnæ Britannia, ad Illustrissimum Cardinalem PERRONIUM scriptam, gravem illam quidem, & tum te, tum tanto rege dignam, magna ex parte. Cordatè enim & masculè, quod sit Regis in religione ingenium, omnibus certè Regibus admirandum & imitandum, quæq; in eo constantia, differis: Duo autem esse videntur, in quibus non immeritò aliquid, vel etiam multum in te desiderari possit, si ad Evangelicæ veritatis amussim examinanda sit religio. Prius intempestivum, vel, ut D. Iacobus ait, amarum vestrum, in re certa, zelum concernit: Iacob: 3. 14. Posterius normam in religione Christiana sectandâ spectat. Ac ut de priori brevib<sup>9</sup> agam: Quid iste Archiepiscopi Cantuarenensis, quid tanti REGIS, quid tuus deniq; zelus, cum vera pietate & charitate, (sine qua religio Christiana nulla est) commune habet? Archiepiscopus Regem rogavit, ut efficeret apud ordines Hollandiæ, ne profana, ut tu loqueris, novitas (inventori, qui est CONRADUS VORSTIUS,) libri *de Deo & attributis ejus*, nuper in Belgio editi, maneret impunita: REX verò tatus, precibus Archiepiscopi obsecundans, librū ipsum, cum in Metropoli, tum in utraq; Academia sua comburi iussit: Tu deniq; tanquam egregiè factum id approbas